



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De Daniele Abbate, qui in calice reperit crudam carnem, cap. 59.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

posset cum Psalmista: Auerristi faciem tuam à me, & *Psalm. 29*  
 factus sum conturbatus. Spero quod postea vitam  
 suam emendauerit. Quibusdam etiam sacerdotibus  
 indignè conficientibus pius Dominus sacramentum  
 subtrahit, ne sibi ad judicium sumant.

## CAPVT LVIII.

**Q**uidam sacerdos, Ervinus nomine, Colonię in  
 ecclesia beati Petri Apostoli ad altare sanctæ  
 crucis Missas celebrare consuevit: hic cū die  
 quadam post transubstantiationem hostiam depo-  
 neret, de altari rotabatur: quam cūm vbiique circa al-  
 tare quæreret, & populus cu eo, nō est inuenta. Haud  
 dubium, quin per manus sanctorū angelorum perla-  
 ta sit in sublime altare Dei, ne sacerdos luxuriosus ea  
 sumeret ad suam damnationem: habebat enim con-  
 cubinam suam manifestè. Simile habes in distinc-  
 tione secunda capitulo quinto, de sacerdote cui colum-  
 ba ob fornicationem sacramentum tulit. Alij sunt sa-  
 cerdotes circa sacramentum altaris tam negligentes,  
 & tam indeuoti, ut ex consuetudine conficiendi, cor-  
 pus Domini à cibis aliis non discernant.

## CAPVT LIX.

**A**bbas Daniel de Sconauia, cūm Prior esset apud  
 nos, sicut ipse nobis retulit, celebrandi gratia  
 capellam sancti Reinoldi, quæ sita est iuxta ec-  
 clesiam sanctorum Apostolorum in Colonia, intrauit:  
 qui cūm sacerdotalibus fuissest indutus, & populus ad  
 audiendam Missam per nolam conuocatus, cūm cali-  
 cem præpararet, particulam crudæ carnis illi intrin-  
 secus reperit adhærentem. Territus valde, cūm deli-  
 beraret vtrum sibi esset celebrandum vel cessandum,  
 populum timens scandalizare, si vestes exueret, panem  
 calici superposuit, vinum & aquam infudit, sicque ce-  
 lebrans, totum simul sumpxit. Dicta missa requisiuit  
 ab inclusa, cui calix commissus fuerat, quis nouissimè  
 in eodem calice celebrasset: quæ respondit; Dominus  
 talis, nomine eum designans. Erat enim dictæ eccle-  
 siæ sanctorum Apostolorum Canonicus sacerdos sæ-  
 cularis nimis, modicum vel nihil habens religiosita-  
 tis,

tais, deuotionis, siue diuini timoris. Ego puto me eisdem Missæ interfuisse. Confessus est nobis præfatus Daniel, et si tunc non mihi, nūquam se in aliqua Missa tantum habuisse consolationis, antea vel postea, quantum in illa. Postea cùm idem Bertolphus hospitaretur apud nos, Abbas noster negligentiam ei recitauit, sed nescio qualiter Deo satisficerit. APOLLONIVS: Melius esset tam miserae vitæ sacerdoribus, de qualibus supra dictum est, tacitis verbis, & remota intentione, tantum simulatione celebrare, quam corpus Domini confidere, & sumere ad iudicium sibi. CÆSARIVS: Plus istos quædam authoritas dicit peccare, quia nihil simulatoriè, nihil præstigiosè, vel alter quam institutum est in ecclesia, in hoc sacramento fieri debet. Idem sentiendum est de his, qui sine ordinibus celebrant, & more simearum alias imitantur. APOLLONIVS: Vnde hoc probas? CÆSARIVS: Ozias Rex Iuda, cùm ex nimio feruore deuotionis officium sacerdotale sibi usurparet, à Domino lepra percussus est. Non puto quin multi sub eo essent mali sacerdotes indignè offerentes, qui tamen puniti non sunt. Sicut enim secundum quantitatem & qualitatem culpæ quantitas & qualitas pœnae moderantur: ita è contrario, ex pœna cognoscitur culpa: audi de hoc recens exemplum.

## CAPUT LX.

*Missa  
dicentes  
non ordi-  
nati sa-  
cerdotes.  
pœniur.  
tur.*

**S**icut mihi narrauit supradictus Daniel, clericus quidam quando Parisijs studuit, horrendum latit spectaculum in ecclesia sanctæ Mariæ Deigenitricis populo præbuit: Nam facer ignis penè manus eius deuorauerat: quem secretius cum campanarius interrogasset, cuius esset ordinis, & ille respondisset, Sacerdotij, subiunxit: Nūquam sacro Chrismate manus istæ per unctæ sunt. Sentiens ille spiritu propheticō se deprehensum, confessus est culpam. Quantum Christo tanta præsumptio displiceat, sequens exemplum manifestat.